

Tacere. Qui tacet, consentire videtur, *c. 43. de R. J. in Sto.* quo refertur regula Juris 142. qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. Tacere est medium inter fateri & negare: ut autem generaliter scire possis, utrum quis tacendo actum approbaverit, vel negaverit, observa distinctionem: aut actus tendit in utilitatem & favorem tacentis, & tunc tacens præsumitur consentire, *l. 2. §. 2. ff. solut. matrim.* aut actus tendit in damnum & præjudicium tacentis, & tunc tacens non intelligitur consentire, *l. 5. ff. de servit. urban. præd.* Quod si verò factum sit tale, quod tacens contradicendo statim impedire potuerit, sed noluit, sibi imputet, si inde tacendo sentiat damnum; quo casu consentire videtur, *l. 63. vers. scientibus, ff. de re judic.* Item si juvenis virgini in matrimonii tesseram det anulum, armillas, catenas, vel alia pretiosa; quamvis illa tacendo hæc accipiat, hic actus tamen consensum matrimonii operatur, quia mediante donorum receptione videtur consensisse. Sic qui ex duobus illatis unum negat, alterum affirmare præsumitur; exemplum est in *cap. 5. X. de præsumtion.* Nonne benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes; iis respondet JESUS, ego dæmonium non habeo: hæc duo JESU fuerunt objecta, quorum unum negavit, alterum tacendo concessit. At si quis à Magistratu in judicio interrogatur, & ad interrogata non respondet, sed tacet, is videtur quasi negare, & ob contumaciam condemnatur ac si negasset, quia Magistratum contemnere videtur.

Talio est similitudo vindictæ, ut quis talia patiat, qualia alteri fecit. Quamvis talionis pœna non amplius sit in usu, manet tamen adhuc aliqua similitudo supplicii in eo, ut qua parte corporis quis peccavit, ea condignè plectatur. Sic fugitivo pes, blasphemus lingua, & falsario manus amputatur; ideo Notario falsum instrumentum in Vasalli favorem, & in Domini feudi præjudicium dolosè scribenti manus amputatur, fitque infamis, *vide c. 55. de prohibita feudi alienatione per Imp. Fridericum.* In Jure Svecico adulteris olim illa talionis pœna dictabatur, ut adulterii convictus pudendis fune ligatus publicè duceretur à lictore per civitatem in criminis enormitatem ad pœnam luendam, quod eo fine factum, ut talis delinquens eâ corporis parte videretur punitus, quâ peccarat. Pia quidem Legislatoris Svecici fuit intentio, at eam pro-

tem-